

litudinis diversorio vitam. Homo literatus transiget, nec inane aut sine fructu hoc otium sibi esse patietur, quin potius à populo semotus cum DEO & Sacra versabitur Antiquitate, meditando, scribendo, legendo, horas utiliter collocabit, æstuantia multorum vota despiciet, & caput velut è nube erigens, serena contemplabitur, atque in Sacro suo otio maximum meditabitur negotium. Quodnam illud? Seria à profanæ Doctrinæ vanitate ad PIETATEM SINCERAM MANVDUCTIO; qua juxta Verbi Divini regulam instituta, super se ipsum tandem felix ille solitarius levabitur, nullis posthac vitæ huius tangetur calamitatibus, nullis vexabitur molestiis, omni solutus sollicitudine sacra sua gaudebit solitudine, in eaq; nullis amplius turbinib; agitabitur, eo plane modo quo montis Olympi vertex adeò se altè extollit, ut nullo ventorū ac tempestatū impetu quatatur. *Habeat sibi* (dicet ille cū Hieronymo,) *Roma suos tumultus, arena sæviat, circus insaniat, theatra luxurient, nobis adherere DEO bonum est, & ponere in Domino spem nostram.* Neque posthac, de vanæ profana-